

secundum promissionis ordinem, de ingenio prius est agendum præfari libet, quæcunq; ferè studiosorum nomina collegi, eadem & ingeniosorum esse hominum. Sed repetitionem minimè necessariam effugiens, quorundam hic nomina conquiram, quorum non tam studium quàm ingenium nobilitatum est: Ad hæc non nudi & incompti, sed eloquentia vestiti ingenij, exempla præsens habebit locus.

## VIRGILIUS.

**I**Nter ingenia Latinorum si mihi iudicij locus & libertas non eripitur, nescio quem Virgilio prætulerim, in quo si sic intelligatur, ut animus meus fert, puto quisque operum eius elegantiam, & in singulis verbis lumen aliquod, sub nube poetica, ad hæc sententiarum grauidam veritatem, ac diuini stili artificium diligenter introspexerit, fatebitur doctrina posse aliquos excellere, ingenio fortasse neminem. Nam de eloquentia quid aliud dicam, nisi quod Macrobius, qui quatuor eloquentiæ generibus collectis, de quibus mox agam ego, vnum quodque genus suo sapienti tribuit auctori, vni Virgilio simul omnia dare non timuit? **Cæ.**